

qui simpliciter est ad medium, conuenit terræ ob summā grauitatem; Ille uero, qui est ad medium secundum quid, aquæ adscribitur, quippe quæ non tam grauis existat, quam terra, grauior autem igne, & aere. Sunt igitur hæc tantum elementa. Aliæ rationes ex philosophia naturæ li petantur.

ORDO ET situs elementorum ex tribus quoque potissimum colligi potest. Primo ex leuitate, & grauitate ipsorum. Quo enim unum altero leuius est, eo ad sublimiorem locum ascendit, & quo grauius, eo ad inferiorē. Cum ergo ignis ob maximam sui raritatem sit summe leuis, supremus ei debebitur locus, qui quidē est sub concauo Lune. Proximū huic locum adeptus est aer, cum sit ceteris duobus elementis leuior, minus uero leuis, quam ignis: Huic proxime succedit aqua; Est enim grauior igne, & aere, leuior uero quam terra: Infimum deniq; locum, qui est prope centrum Vniuersi, iure sibi Terra uendicat, cum sit omnium grauissima.

SECUNDO ex conuenientia elementorum in proprietatibus. Quanto enim aliqua magis conueniunt in proprietatibus, tanto etiam propinquiora, & uiciniora inter se sunt in loco. Vnde cum terram uideamus infimam tenuisse sedem, aquam uero terræ similiorem esse, quam aerem; cum aer prorsus terre aduersetur, in nullaq; qualitate cum ipsa conueniat; aqua uero in frigiditate concordet cum terra, non immerito aquam supra terrā immediate collocauit natura. Eadem ratione supra aquā commode aerem ponemus, cum conueniat cum aqua in humiditate, ignis uero in nulla qualitate, sed ei omnino sit cōtrarius. Supra aerem deniq; ignem haud iniuria constituemus; cum in caliditate conueniat cum aere. Accedit ad hoc, quod cum ignis, & aqua, similiter aer, & terra, sint contraria, quia prorsus contrarias obtinent qualitates, immediate posita esse nequeunt; Idcirco natura solertissima media elementa interposuit, quæ in qualitatibus cum utroque contrariorum communicant, aerem uidelicet inter ignem & aquam; aquam uero inter terram, & aerem; Atq; hac ratione symbolizantia ad inuicem existunt elementa. Quod si quis petat, cur potius aqua sit terrā immediate secuta, & non potius ignis; deinde aer, & postremo aqua, cum hoc etiam ordine seruentur dictæ conuenientie elementorū in qualitatibus, quoniam semper media elementa contrarijs sunt interposita. Respondendum est, duplici id ratione esse factum. Primo quidem, quoniam